

Uniuersis et singulis presens scriptum intuentibus - Volricus¹ Rector Ecclesie de Veltkilch, ac Volricus¹ de Bodemen miles frater suus rei noticiam infrascripte. / Ea que gerunter sub tempore, ne propter hominum debilem memoriam obliuionis caligine obfuscentur, scripturarum conuenit testimoniis perhennari. Notum sit igitur vniuersis bone / voluntatis hominibus, quod (causa)² mota, inter honorandos in xpo. - -³ prepositum - -⁴ decanum et Capitulum Ecclesie Curiensis⁵ ex vna, et nos ex parte altera super iure patronatus, iure ad/uocatio⁴ Ecclesie antedictae, ac aliis suis pertinentiis, materia questionis, ac illa diucius agitata, animaduertere cepimus, nobis nichil iuris competere in iuribus prenotatis, / ex eo, quod antedicti - -³ prepositus - -⁴ Decanus et Capitulum⁵, prenotata iura, cum suis attinenciis, a discretis viris Volrico¹ et Marquardo de Schellenberch fratribus, quibus ius / distrahendj et alienandj competebat, ea de causa, quod ipsi iura superius annotata a quondam Martino fratre nostro, cui dicta iura cum eorum attinenciis ex diuisione paterne hereditatis inter nos habita pertinebant, canonicè acquisierunt et legitime comparunt, quod, necnon singula predicta, publice recognoscentes pre-/sentibus profitemur, Quamobrem deum habentes pre⁶ oculis ac iusticie annuentes, prenotate questioni, iuribus, patronatus, et aduocacie, et eorum attinenciis, et / siquid, iuris, nobis circa ea competere videbatur, ad manus Reuerendorum dui. - Friderici -⁷ Electi - -³ prepositi, necnon - -⁴ Decani, Ecclesie Curiensis, nomine Capituli⁵ et / Ecclesie antedictae resignacionem et renunciacionem huiusmodi recipiencium, resignauimus et renunciauimus, presentibusque resignamus et renunciamus, sponte sine / metu, fraude, uel dolo non inducti⁸, quod presentibus profitemur, Hoc adiecto quod nomine iuris aduocaticij, Ego - -⁹ Rector Ecclesie de Veltkilch preli/bate duas libras dumtaxat, Constantiensis monete, singulis annis in festo beati Galli, persoluere debeo Capitulo memorato — Promittentes et / obligantes nos, dictam resignacionem et renunciacionem, fide data, nomine iuramenti, ratam et gratam in perpetuum habituros, et quod numquam contra eam / veniemus verbo uel opere per nos uel interpositam personam, Renunciantes pro nobis et nostris successoribus quibuscumque, excepcioni et actioni, doli, / quod metus causa¹⁰, consuetudini et statuto¹¹, omnibus litteris et rescriptis, a Sede aposto-